

## CAPUT IV.

*Vitanda est omnis immunditia; coniugio sancte & honeste utendum; ut se coniuges invicem diligant; manibus operentur: ne mortuos luceant Gentilium more; sed ut Christiani resurrectionem sperantes.*

† DOM. 2. QUADR. 1. DE cetero ergo, † fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum acceptis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambulatis ut abundetis magis.

2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.

\* Rom. 12. 2. Ephes. 5. 17. 3. \* Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstinere vos à fornicatione, 4. ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: 5. non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum: 6. & nequis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.

7. non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: \* ipsi enim vos à Deo didicistis ut diligatis invicem.

\* Ioan. 13. 34. & 15. 12. & 17. 1. Ioan. 2. 10. & 4. 12. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis,

11. & operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & ut honeste ambulatis ad eos, qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis.

† IN MIS- SIS DE- FUNCTO- RUM. 12. † Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent.

13. Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.

14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, \* quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.

15. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de caelo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

16. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.

17. Itaque consolamini invicem in verbis istis. †

## CAPUT V.

*Dies Domini, seu extremi iudicij incertus. Qui sint diei & tenebrarum filii: tum ad morum præcepta descendit.*

1. DE temporibus autem, & momentis fratres non indigetis ut scribamus vobis.

2. \* Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

3. cum enim dixerint pax, & securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.

4. Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat:

5. omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non fumus noctis, neque tenebrarum.

6. Igitur non dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii simus.

7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.

8. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, \* induiti lorica fidei, & charitatis, & galeam spem salutis:

9. quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum,

10. qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.

11. Propter quod consolamini invicem: & ædificate alterutrum, sicut & facitis.

12. Rogamus autem vos fratres ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præfunt vobis in Domino, & monent vos,

13. ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.

14. † Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

15. Vi-

\* Prov. 17. 13. & 20. 22. Rom. 12. 17. 1. Petr. 3. 9. \* Eccli. 18. 22. Luc. 18. 1. Coloss. 4. 2. 15. \* Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est scetamini in invicem, & in omnes.

16. Semper gaudete.

17. \* Sine intermissione orate.

18. In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.

19. Spiritum nolite extinguere.

20. Prophetias nolite spernere.

21. Omnia autem probate: quod bonum est tenete.

22. Ab omni specie mala abstinete vos:

23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur. †

24. \* Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet. †

25. Fratres orate pro nobis.

26. Salutate fratres omnes in osculo sancto.

27. Adiuro vos per Dominum ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.

28. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

## EPÍSTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICÉNSES II.

CUM in priori ad Thessalonicenses Epistolâ, de die iudicij quasi iam instante paulo obscurius fuisset locutus Apostolus (cap. 1. 5.) & falsi fraudulentique Doctores terrent animos, quasi ex mente eius iam instaret, datâ paulo post hac alterâ ad eosdem, clarius se aperit, impostoresque illos redarguit, docens non prius Christum venturum, quam apparuerit Antichristus, Christi adventu destruendus. Deinde, cum intellexisset nondum emendatos esse eos, quos in superiori Epistola notaverat ut otiosos & inquietos, nunc eosdem acrius castigat, excommunicandos denunciando ni respiciant. Scripta est itaque hæc Epistola ex eodem loco, & eodem anno (æra nostra 52.) quo prior: utique cum Sylvanum & Timotheum in ministerio Evangelij coniunctos sibi haberet Apostolus (cap. 1. 1.) & postquam ipse apud Thessalonicenses Christi fidem amplexos iam præfens adfuisset (cap. 2. 5.) ut non minus aberrent à vero qui eam sub Caligula exaratam existimant, quam qui per Onesimum delatam, quem multis post annis in Christo genuit Romæ, cum esset in vinculis.

## CAPUT PRIMUM.

Gratias Deo agit ob fidem & mutuam Thessalonicensium charitatem, nec non ob patientiam in persecutionibus. Quod præmium bonos maneat; quæ supplicia malos.

1. **P**AULUS, & SILVANUS, & TIMOTHEUS: Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrevit fides vestra, & abundat charitas uniuersiusque vestrum in invicem:

4. ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, &

fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis

5. in exemplum iusti iudicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.

6. si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant:

7. & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius,

8. in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi.

9. qui poenas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius:

10. cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.

11. In



11. In quo etiã orãmus semper pro vobis : ut dignetur vos vocatiõne suã Deus noster, & impleat omnem voluntãtem bonitãtis \*, & opus fidei in virtute, ut clarificetur nomen Dõmini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo secundum grãtiam Dei nostri, & Dõmini Iesu Christi.

CAPUT II.

De secundo Christi adventu agit, quem brevi futurum nonnulli falso predicabant; prius hominem peccati manifestatum iri docet. Traditiones, cum scriptas, tum etiã non scriptas, recipi oportere, monet.

\* SABB. QUA T. ADVENT. EPIST. 6. **R**ogamus autem vos fratres per adventum Dõmini nostri Iesu Christi, & nostrã congregatiõnis in ipsum:

2. ut non citò moveãmini à vestro sensu, neque terreãmini, neque per spiritum, neque per sermõnem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Dõmini.

\* Ephes. 5. 3. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discẽsio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,

4. qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.

5. Non retinẽtis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?

6. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.

7. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

\* Isai. 11. 4. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dõminus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratiõne adventus sui eum:

9. cuius est adventus secundum operationem satanã in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus,

10. & in omni seductiõne iniquitatis iis, qui pereunt: eò quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio,

11. ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

12. Nos autem debemus grãtias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti à

Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatiõne spiritus, & in fide veritatis:

13. in qua & vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriã Dõmini nostri Iesu Christi.

14. Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermõnem, sive per epistolam nostram.

15. Ipse autem Dõminus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolatiõnem æternam, & spem bonam in grãtia,

16. exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermõne bono.

CAPUT III.

Qui præ otio, & nimia curiositate publicum turbant ordinem, vitandi; prosera omnia iis appreciatur.

**D**E cetero fratres orate pro nobis ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: Ephes. 6. Coloss. 4. 3.

2. & ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides.

3. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.

4. Confidimus autem de vobis, in Dõmino, quoniam quã præcipimus, & faciatis, & faciẽtis.

5. Dõminus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.

6. Denunciãmus autem vobis fratres in nomine Dõmini nostri Iesu Christi, ut subtrahãtis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.

7. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:

8. \* neque gratis panem manducãvimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatiõne, nocte & die operãntes, ne quem vestrum gravarẽmus. Act. 20. 34. 1. Cor. 4. 12. 1. Thess. 2. 9.

9. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam darẽmus vobis ad imitandum nos.

10. Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciãbãmus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet.

11. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operãntes, sed curiosè agẽntes.

12. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denunciãmus, & obsecrãmus in Dõmino

Iesu Christo, ut cum silentio operãntes, suum panem manducent.

\* Gal. 6. 9. 13. Vos autem fratres nolite deficere benefaciẽtes.

14. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceãmini cum illo ut confundatur:

15. & nolite quasi inimicum existimã-

re, sed corripite ut fratrem.

16. Ipse autem Dõminus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dõminus sit cum omnibus vobis.

17. Salutatio, meã manu Pauli: quod est signum in omni epistola. ita scribo.

18. Grãtia Dõmini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM PRIMA.

**D**Uã Pauli ad Timotheum Epistola, & una ad Titum, argumento similes sunt. Instruunt enim Episcopum, & præcipuas tanti muneris partes explicant, quamquam id uberius prima ad Timotheum præstat, quem Apostolus Epheso discedens præfecerat. Verum autem antequam Paulus primùm Romam venisset, an postea, variant sententia. Sed ex eis quã in Prolegomenis stabilita sunt, apparet nonnisi cum vinculis laxatus Paulus Orientem iterum peragravit, Timotheum Ephesi Episcopum constitutum. Ex quo sit verisimile digressum Epheso Paulum cum Philippo ex promisso venisset, inde hanc ad Timotheum dedisse; anno, ut opinamur, ærã quam sequimur 66. post Christi mortem 33. & ab eo tempore quo Timotheus adhuc penè puer, testis fuerat persecutionum quas Apostolus Lysiris passus est (2. Timoth. 3. 11. cum Act. 14.) annos 23. Ut circiter annorum 30. esse tum potuerit, cum à Paulo Episcopus est ordinatus.

CAPUT PRIMUM.

Quã sint muneris Episcopalis; ut quæstiones inutiles, & genealogias infinitas, quibus Iudæi indulgent, omnino vitet Episcopus. Finis legis est charitas.

**P**AULUS Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ:

\* Act. 16. 1. 2. \* Timotheo dilecto filio in fide. Grãtia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Dõmino nostro.

3. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denunciãres quibusdam ne aliter docerent,

\* Infr. 4. 7. 2. Tim. 2. 3. 9. 4. neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quã quæstiones præstant magis quã ædificatiõnem Dei, quã est in fide.

5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

6. A quibus quidam aberrãntes, conversi sunt in vaniloquium,

7. volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quã loquuntur, neque de quibus affirmant.

8. \* Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: Rom. 7. 12.

9. sciens hoc quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis,

10. fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanã doctrinã adversatur,

11. quã est secundum Evangelium gloriã beati Dei, quod creditum est mihi.

12. Grãtias ago ei, qui me confortavit Christo Iesu Dõmino nostro, quia fidèlem me existimavit, ponens in ministerio:

13. qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

14. Superabundavit autem grãtia Dõmini nostri cum fide, & dilectiõne, quã est in Christo Iesu.

15. Fidelis sermo, & omni acceptiõne dignus: \* quod Christus Iesus venit in hunc

\* Math. 9. 13. Marc. 2. 17.